

tes, exercitatione maxime comparandae, etsi ex hac institutione peti non possint: hanc artem tamen nullo modo esse superuacua (c. 34 — 36.) cognitionis vero vim historico, antequam ad opus suum accedere possit, necessariam (c. 37.) etiam plenius affert. Docet deinde, quomodo affectus esse debeat historicus: Sit animo ingenuo, a partium studio alieno, veri amante, ut ea, quae vere euenerunt, haud corrupta tradat (c. 38 — 42.). Accedit ad scribendi genus, quod placidum sit, et non oratorium (c. 43.); perspicuum vero et dilucidum (c. 44.); si vel sententia interdum accedat ad poëseos similitudinem, et altius surgat, sermo tamen maneat pedestris (c. 45.); compositio verborum temperata sit, et media (c. 46.). Res diligenter sunt exquirendae et inuestigandae (c. 47.), molem deinde componat, denique ornet historicus (c. 48.). Nil sua attentione censeat indignum, in tradendo autem et narrando modum seruet, et ordinem commodum (c. 49. 50.); materiam et res haud inueniat, ingenium et elegantiam potius ostendat in narrando (c. 51.). Tum de prooemio agit: interdum eo non opus est (c. 52.), ubi afferendum est, dociles et attenti reddendi sunt auditores, beneuolentia non captanda (c. 53.); Herodoti et Thucydidis exempla (c. 54.); Exordium sit pro rerum diuersitate partim longius partim breuius; transitus ad historiam facilis, ipsa narratio, suis virtutibus ornata, *unum* efficiat et bene compositum corpus (c. 55.); breuitati studendum, negligenda sunt parum memoratu digna (c. 56.); maxime in descriptionibus sobrie versandum (c. 57.). Docet auctor, quomodo conueniat alium inducere loquentem (c. 58.); quomodo laudare et vituperare (c. 59.); quomodo denique versandum sit, si qua fabula incidat (c. 60.). Omnino vero auctor in fine maxime monet, non aequalium, sed posterorum rationem esse in scribendo habendam, et ad eorum iudicium omnia esse componenda, id quod Dexiphanis architecti exemplo illustrat (c. 61. 62.).

Conclusio valde urbana.